

1438 ditionem acceperat, quam Veneto infidias a tergo comparatas rescivisset, ut vel manenti, vel (quod magis crediderat) cedenti pereundum esset. Casali igitur recepto, silentio noctis Ollium versus movit: præmissisque levis armaturæ equitibus, qui vadum fluminis tentarent, ex iis cognovit, ulteriorem annis ripam Venetorum præfidiis teneri. Pergit tamen ille ire, atque sub auroram ad Ollii ripam quatuor passuum millia infra Binam confedit. Copiis inde ad locum admotis, omnia ad oppugnationem necessaria expediri jubet. Mellita ratus quod erat, esse illud hostis vaframentum, alioque ejus consilia, quam ad id quod specie pararetur, spectare: in omnes partes intentus esse, atque attentiore cura perlustrare. Mantuanus Princeps & ipse circa Marcariam oppidum, quod medium intra Binam & Padum tenebat, tria millia hominum in armis habebat: hortabaturque identidem Venetum ducem ut secum copias jungeret, fore affirmans, ut, collatis castris, omnes hostium conatus facilius frustrarentur. Hæc ille, etsi eorum, quæ ab ipsis hostibus parabantur, minime erat ignarus. Mellita interim in animo habebat Christophorum & Joannem Tollentinales Veronam cum suis alis equitum ad præsidium mittere. Id consilium Mantuanus magnopere improbare. Legati qui aderant, plus Gonzagæ quam tutum esset, credentes, & ipsi aliter sentire. Contra ille, seu casu, seu quod ea quæ parabantur, si non omnino, aliqua tamen ex parte explorata haberet, persistare in sententia, atque ita facto opus esse dicere. Circumferebat castra hostis, quibus sæpius interdiu, noctu etiam nonnunquam mutatis, quasi modo hac modo illac erupturus, Venetum sollicitum habebat. Hujusmodi mutua illusione aliquot diebus frustra consumptis, quia jam comparata erant omnia, Picininus ponte a conspectu hostium averso tertiam exercitus partem silentio noctis sine strepitu transmissam Gonzagæ copiis subito adjungit: ipse nihilo secius se in adversa ripa ostentare, varios assilulans conatus, ut sua facilius consilia hostem laterent, mox & ipse per Marcariæ & Canneti pontes copias trajeciturus.